10.B/41-006

Collega Spectabilis!

Semina a me desiderata diu jamjam obtinuisses
nisi dira illa atque exitialis inundatio ad finem
Martii totum qua late patet hortum incredibili
revera modo devastasset. Flumen nempe novum sibi
per hortum parare tendens alveum, post avulsum
omnium murorum, hortum versus meridiem et ori-
entem circumdantium, ad altitudinem 11 pedum
domum quam habito, nec non frigidaria, caldaria
et pulvillos omnes plus minus aqua replevit, mil-
lenas plantas nec non herbarium horti ex integro
disturbavit, areas pro parte omni terra fertili
orbavit, ruinis murorum et lapidibus replevit
et omnia limo fastidioso alte tecta reliquit,
arbores et frutices nec non copiam plantarum perennium
radicitus evulsit aut diffregit atque hac ratione
horto detrimentum vix computabile paravit.

Omnes itaque conatus nunc intendere necesse
erat estque ut hortus, quantum fieri licet, in
statum convenientem restituetur, quod vero
omne nostrum ita exigit tempus ut impar
sim tibi jam hoc mense plantas vivas
a me postulatas transmittere, quas quidem
nec suadendum esset, cum ~~apud~~ in nostris regionibus

ad medium usque Maji thermometrum Reaumurianum
horis matutinis saepe saepius gradus aliquot frigoris
~~ostendit~~ indicat, quod quidem plantis praecipue e
Caldario et Tepidario sumptis nocere debet. Si vero
missio plantarum vivarum post medium Maji Tibi non
conveniet fac quaeso ut me certiorem de hoc
reddas.

Indicem plantarum, quas hortus Patavinus alit
hortus noster vero adhuc non habet, hic adjectum
invenies; seligas ex his enumeratis quaeso illas
quas mihi hac vice communicare vis.

Vale et fave

Tuo

devinctissimo amico
V. F. Kosteletzky

Pragae die 22 Aprilis 1845

837 · 46
577 · 34
558 · 23
1126 · 87

3099 · 90